

fixam a cornu evangelii tertiam, nobis propterea humiliter supplicari fecit ut, pro majore Dei cultu, ac meliore cum aliis dignitatibus et canonicis publice servanda conformitate, sibi in præmissis opportune prævidere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur, etc... (*Bullarii romani continuatio*, Romæ, 1847, tom. XIII, pag. 437.) »

Innumerae sunt in prædicto Bullario concessionibus apostolicæ de chordulis aut funiculis violaceis cum flocculis ejusdem coloris pileo circumvolvendis; necnon de vestibus oblongis et etiam mantelletis violaceis in gratiam canonicorum et aliorum factæ.

ADNOTATIO XXXIV.

Lib. III. Tit. I. § IV, n. 104, pag. 387.

DE USU ANNULI.

« Quamvis annuli delatio tam in decretali *Clerici officia*, hoc titulo, quam in concilio Romano celebrato a Benedicto XIII, anno 1723, tit. XVI, cap. III, prohibita sit quibuscumque clericis quibus non competit; hodie tamen speciatim interdicta est omnibus sacerdotibus et etiam abbatibus, si benedicti non sint, dum missam celebrant, sicuti et protonotariis non participantibus; item doctoribus quibuscumque et canonicis cathedralium ex decretis Congregat. Rituum 13 febr. 1625 et nov. 1628. Hi tamen canonici ex decreto ejusd. Congregationis, 4 aug. 1663, uti possunt annulo aureo, sed sine gemma et absque aliqua effigie. (Giraldus, *Expos. jur. pontif.* part. I, sect. 324.) »

In *Pontificali Romano commentariis illustrato*, auctore Josepho Catalano, nova edit. Parisiis anno 1850 apud Méquignon juniorem evulgata, in prolegom. cap. XVII, post disquisitiones uberrimas de annulis episcopalibus, gestatoriis et signatoriis tam apud Latinos quam apud Græcos, legitur: « Restat nunc illud monere, præter episcopum et abbatem habentem usum pontificalium, non posse protonotarios titulares (quos non participantes vocant), neque doctores canonicosve cathedralium ecclesiarum deferre annulum cum gemma in missa, tum ad differentiam episcopi, tum ad humilitatis indicium, coram sanctissimo sacramento quod manu tractari debet, uti docet Gavantus ex decreto sacre Rituum congregationis. Observat autem vir clarissimus Cajetanus Merati, in novis *Observationibus* ad ipsum Gavantum pag. 339, ex alio ejusdem Congregat. decreto, die 4 aug. 1663, statutum fuisse posse canonicos missam celebrare cum annulo aureo et de rigore uti, sed sine gemma et sine aliqua effigie. Solus itaque episcopus et abbas, ut dixi superius, annulo cum gemma uti possunt; nihilominus ab ipsis esset legendus S. Petrus Damiani, qui pretiosas annulorum margaritas graviter damnat. »

» Annulus datur episcopo, inquit Gavantus,

Comment. in rubr. Missalis part. II, Tit. I, de preparatione sacerdotis celebraturi..., et regulariter quidem in digito indice manus dexteræ defertur, neque in gemma sculptum quid esse debet, ex Durando lib. II *De ritib.* cap. IX; sed in missa pontificali jubetur episcopus gestare annulum in digito annulari dextræ manus... Alii caveant ne unquam annulum gestent in missa, qui expresse prohibitus fuit protonotariis non participantibus, et quibuscumque doctoribus, die 13 febr. 1625, et item canonicis cathedralium ecclesiarum qui se majores aestimabant protonotariis, die 20 nov. 1628. Canonico vero nomine, hæc in re, intelliguntur etiam dignitates, sive sint sive non sint de gremio capituli. »

« Annuli usus, inquit Ferraris, *Prompta bibliotheca*. » *Annulus*, in missa prohibetur protonotariis non participantibus, et doctoribus quibuscumque et canonicis cathedralium. S. Congr. Rit. 13 febr. 1625 et 20 nov. 1628. Possunt tamen canonici missam celebrare cum annulo aureo, et de rigore uti, sed sine gemma et sine aliqua effigie. S. Congr. Rit. 4 aug. 1663. Benedictus tamen XIII, in concil. rom. tit. XVI, cap. III statuit in missæ celebratione esse deponendum. » Notandum quod decreta concilii Romani anni 1723 veniunt applicanda tantum in locis quorum ordinarii convocati fuerunt ad prædictum concilium. Hæc autem sunt verba Benedicti: « Non annulos deferant (clerici), nisi hi eis ratione dignitatis competant et tuncillos, nisi abbates sint benedicti, in missæ celebratione deponant. »

Idem Ferraris, » *Protonotarius titularis seu extra numerum*, docet: « Protonotarius titularis non participans potest apponere pileum super insigniis et habere annulum dum celebrat, dummodo non cum gemma. S. C. R. 24 aug. 1601 apud Cordubam in *Praxi dispensat. apostolicar.* lib. V, cap. VI, n. 52; Barbosa in *Summ. decis. apostol.* » *protonotarius titularis* n. 6. Piton. *Constitut. et decis. ad canonicos*, n. 119. Unde quamvis protonotarii titulares non possint in missa gestare annulum cum gemma, ut censuit S. R. C. 21 aug. 1601, 13 febr. 1625 et 20 nov. 1628, apud Piton. loc. cit. n. 439, ex Gavanti his verbis: « Annuli usus prohibetur » protonotariis non participantibus, doctoribus quibuscumque, canonicis cathedralium; » tamen, die 4 aug. 1663, eadem S. R. C. apud eundem Piton. loc. cit. n. 722, ex eodem Gavanto (*lege Merati*) statuit ut sequitur: « Possunt canonici missam celebrare cum annulo aureo et de rigore uti, sed » sine gemma et sine aliqua effigie. »

Ex his sequitur: I. Quod usus annuli aurei cum gemma et cum aliqua effigie competit extra missam episcopis, abbatibus, prælati habentibus usum pontificalium, protonotariis titularibus, canonicis Ecclesiarum cathedralium et doctoribus quibuscumque. II. Quod usus annuli aurei cum gemma, sed sine aliqua effigie, competit in celebratione missæ episcopis, abbatibus benedictis et prælati

habentibus usum pontificalium. III. Quod usus aurei annuli, sed sine gemma et sine aliqua effigie, competit in celebratione missæ protonotariis titularibus et canonicis cathedralium, salvo tamen decreto concilii romani in locis ubi viget, et decreto Pii VII de quo infra. IV. Quod usus annuli aurei ejuslibet non competit doctoribus in celebratione missæ.

Quoad canonicos ecclesiarum cathedralium sic tradunt communiter liturgistæ, signanter Catalani, Ferraris, Merati, Pitonius et alii.

Sed ab hac opinione aliquo modo recedit Paulus Carli, cathedralis Brixienensis canonicus, in opere imperfecto cui titulus: *Bibliotheca liturgica*, Brixiae, Valotti, 1833, verbo *Annulus* (sic), ibi: « Canonici in missæ celebratione de rigore uti non debent annulo, etiam aureo tantum, hoc est sine gemma vel effigie aliqua; S. R. C. 4 aug. 1663, in una *Dalmatiar.* n. 2094 ad XI. Perperam hoc decretum refert Meratus sub his verbis: « Canonici quando » missam celebrant de rigore uti possunt annulo » aureo, sed sine gemma et sine aliqua effigie. » Purgandus tamen est clarissimus auctor, quippe quod ex authentica editione haud potuit decretum excerptare. Verba autem « de rigore uti non debent » quibus usa est S. Congregatio in rescripto ad dubium: « Utrum possint canonici cum annulo » etc... missam celebrare? » Videntur sensum dicere: ex lege annulum canonicis permissum non esse; ex consuetudine tamen (saltem ubi viget, ut in casu fuisse opus est opinari) indulgentiam esse adhibendam; atque id firmari etiam potest decreto quod paulo mox sequitur, dum per illud annulus tantum cum gemma vetitus declaratur. « Num dignitates et canonici cathedralis adhibere possint » annulum cum gemma, quem jam gestare assone » lent, etiam quando celebrant, sacrisque functionibus dant operam? Responsum fuit: Negative. » S. R. C. 13 sept. 1670. » Si et annulus simplex, hoc est aureus tantum, in casu non liceret, id certe quidem negativæ S. Congregationis responsioni additum legeretur; quod cum minime factum fuerit, manent idcirco in suo robore quæ superius dicta sunt, imo potiori quædam ratione enuntari posse videntur. Dum vero Gardellinius (in suo indice, verbo eodem) proxima scribit: « Annuli delatio in missa omnibus sacerdotibus vetita, » etiamsi sint protonotarii titulares, dignitates et » canonici cathedralis, » nullam in casu indulgentiam admittit, quam tamen decretorum verba, ut patet, respuere non videntur, sicuti dictum est.

Jus pro canonicis ecclesiarum cathedralium annulum gestandi desumptum videtur ex eo quod capitulum sit pars integrans cujuslibet Ecclesie episcopalis, retineat jurisdictionem in habitu, illamque exerceat in actu, sede scilicet vacante. Unde non solum episcopo, sed etiam canonicis ex quibus conlestit capitulum, quælibet Ecclesia episcopalis uti sponsa traditur, et in signum unionis perpetuæ tam episcopus quam canonici, unum ef-

fecti caput Ecclesie (nam capitulum a capite), annulo decorantur.

Denique protonotarii titulares seu honorarii sacrum operantes vetantur annulum adhibere, S. R. C. 27 april. 1818, in decreto de privileg. protonotariorum, adprobante Pio VII, 13 dec. ejusd. anni, constit. *Cum innumeri*; Carli, loc. citato.

Antiqua statuta synodalia in partibus Galliarum non reprobabant annuli delationem a clericis inferioris ordinis. Quod probatur tit. XII, n. 4. *Statutor. synod. diocesis Aurelianensis* anni 1664, ubi legitur: « Armillas, inanes et quæ sunt hujusmodi nemo gerat; nemo etiam annulum, nisi cui propter officium vel gradum jure concessus est, tumque unicus sit, nec magni pretii, quem dum missam celebrat sacerdos deponat. »

De annulis episcoporum, abbatum, regum, et virginum Deo sacrarum, et de annulis nuptialibus lege apud laudatum Catalanum in *Pontif. Rom.* edit. cit. exquisitissimas lucubrations, tom. I. pag. 28 et seqq. 345, 360, 459, 461, 549 et 612; tom. III, pag. 360 et 469. Cf. etiam Adnotationem III, hujusce volum. supra; et opusculum quoddam *Del uso dell'anello*.

ADNOTATIO XXXV.

Lib. III. Tit. I. § IV, n. 109, pag. 388.

QUOD INTELLIGENDUM PER FIBULAS, VESTES DIFFIBULATAS, ET PECTORALIA?

Quid sonent voces epitogium, tabardum sive tabardus, vestes virgatæ et partite, sufficienter explicat auctor noster; qui tamen ampliora desiderant, *Glossarium ad scriptores infimæ et mediæ latinitatis* adire possunt. Restat ut de fibulis, vestibus diffibulatis et pectoralibus aliquid attingamus.

Fibulare apud Columellam lib. I, cap. VI, pro alligare sumitur, unde apud Vitruvium eodem sensu *fibulationes*, a fibulis quibus vestis subligatur. Unde etiam *fibulatorium*, illud quod apponitur mantello, per quod mittuntur fibulæ ne dissipetur mantellum. Sæpissime fibula eodem sensu sumitur quo *fibulatorium*. Fibulas aureas pro donariis oblatas Ecclesiis habet anonymus, *De miraculis S. Remacli* cap. XI et XXIV, apud Mabillonium. Porro verba decretalis *Clerici officia*, hoc titulo, sunt hæc: « Fibulas omnino non ferant neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes... » quæ intelligi debent de fibulis aureis vel argenteis, aut auri vel argenti ornatum præ se ferentibus, non de fibulis quibuscumque. Etenim vestes *diffibulate*, id est non alligatæ, dissipatæ, apertæ, prohibentur. Cf. auctorem nostrum, n. 103.

Pectorale, seu formale seu formaculum, fere idem sonat ac fibula et fibulatorium; gallice *fermail*, *fermoir* (hodie *broche* ad usum scilicet mulierum) est quasi fibula major et ornatior. De quo in *Cæremon. episcoporum* lib. I, cap. VIII, § I, n. 3: « Episcopo officium in vespere facturo presbyter

ipse adsistens... capiet paramenta videlicet... pluviale, sine tamen formalio ad pectus... Porro « *Formalium*, inquit Catalanus in *Comment. ad Cærimon. episcop.* gemma seu aurea lamina gemmata est, posita in fibula pluvialis episcopi, appellaturque etiam pectorale, quod in pontificali celebratione posita ante pectus episcopi pendet ita ut fibulam pluvialis cooperiat... » Meminit et ejus S. Carolus in *Actis Mediolan. Eccl.* ubi agit de ipso pectorali ad pluvialis connectendi usum quod ita describit: « Pectorale scilicet illud quo ante pectus pluviale » connectitur, duobus uncinis subjectis, ex argento » inaurato conflatum esse debet, cui lapis pretiosus » inseratur aut sacra imago, »

Macri in suo *Hierolexico* dat sequentem pectoralis definitionem: « Sic appellatur gemma illa quæ in pontificali celebratione ponitur pendens ante pectus episcopi, ita ut fibulam pluvialis cooperiat, vel in fine aperturæ collaris casulæ. Significat antiquum summi sacerdotis rationale, ideo etiam rationale: quodam antiquo manuscripto cærimoniali appellatur; et in Cærimoniali episcoporum formalium denominatur. » Solis prælatis competit pectorale; nec dignitates nec canonici solemniter celebrantes possunt illud gestare, quamvis antiqua sit contraria consuetudo, ut decrevit S. R. C. die 15 sept. 1753.

In decretali cit. *Clerici officia* prohibitum est clericis ne pectoralibus deauratis utantur. Cf. auctorem nostrum n. 104. Hic agitur de singulo quo equi pectus ambitur et stringitur.

ADNOTATIO XXXVI.

ib. III. Tit. I. § V, n. 139, pag. 394.

AN SIT VETITUM CLERICIS POSSIDERE ACTIONES, UT AIUNT, VIARUM FERRATARUM, ET ALIAS HUIUSMODI?

Scriptores menæorum quibus titulus, *Revue théologique*, jun. 1858, serie III, pag. 135 et 136, docuerunt illud vetitum esse, ex eo quod clerici, qui dant pecuniam ad societatem ut inde lucrum cum aliis sociis reportent, dicuntur negotiari; siquidem omnes ad contractum societatis concurrentes dicuntur negotiari sive pecuniam ministrent, sive operam, sive industriam, sive aliud.

Contra hanc opinionem dissertationem instituit D. Bouix, *Revue des Sciences ecclésiastiques*, tom. II, pag. 444 et seqq. et concludit nullam prohibitionem existere quominus clerici possideant actiones viarum ferratarum et alias huiusmodi, dummodo clerici de quibus agitur non subscribant vel emanant prædictas actiones animo illas vendendi, ubi lucrum colligendi occasio sese dederit. Præbere, inquit, pecuniam quæcum sit commercium quod libet, non est in omni casu negotium facere. In societate quæ commercio incumbit, adesse possunt socii sive vigilantes sive dormientes. Socii qui vigilat negotiatur, non autem dormiens. In societate sub nomine colectivo omnes socii sunt negotiatores, non vero in societatibus anonymis. Insuper, etsi

clerici possidentes prædictas actiones tanquam negotiatores habendi forent, non ideo peccarent, siquidem negotiatio clericis vetita est illa quæ fit cum res emuntur et revendantur, forma nullatenus immutata. Commercium industriale, illud scilicet quod fit ex rebus emptis, per artem alias non indecentem transformatis, non prohibetur. Tandem theologo qui reprobat participationem clericorum in societatibus sub nomine colectivo ad lucrum stabilitis in mente non habebat societates novas, hodiernis temporibus excogitatas, quarum conditio est diversa. Hæc est summa rationum, quæ opponit et iudicio Sanctæ Sedis humiliter subjicit prælaudatus canonista.

ADNOTATIO XXXVII.

Lib. III. Tit. I. § V, n. 142, pag. 395.

DE OFFICIIS ET LUDIS RESPECTU CLERICORUM INHONESTIS.

Clemens XIII, litteris encyclicis *Cum primum*, sub die 17 sept. 1759, omnibus ordinariis mandat ne patiantur tam clericos quam sacerdotes, in laicorum domibus obsequiis, abjectisque servitiis adiectos, licet sub quovis honestiori titulo susceptum servitii genus obtere nitantur, quietos in suo dedecore insordescere, sed curent, quatenus opus sit, tota ordinariæ ac delegatæ jurisdictionis auctoritate, servatis servandis, eosdem ad ecclesiasticæ vitæ instituta, et ad clericalis militiæ munera revocare.

Clerici nec mimis nec jocularibus et histrionibus intendere debent, ut in decretali *Clerici officia* verbis apertissimis cavetur, hoc titulo. Cui suffragatur Benedictus XIV, *De syn. diœc.* l. b. XI, cap. x, n. 11, ubi absolute asserit temere nimii rigoris censuram appingi synodali statuto, quo ecclesiastici a choreis, comædiis aliisque spectaculis longe abesse jubentur. A fortiori nullo modo possunt in comædiis recitare profanis, et contra recitantes valent episcopi statuere pœnam excommunicationis ferendæ sententiæ, uti declaravit S. Congr. Concilii in *Sulmon.* 22 aug. 1653, apud Ferraris *Prompta Biblioth.* vº *Clericus*, art. IV, n. 17. Hic attendenda maxime venit epistola vicario capitulari Aquilano, jussu Summi Pontificis Clementis XI, scripta, cujus tenor sequitur: « È pervenuto a notizia della Santità di Nostro Signore che in cotesta città sia per recitati una commedia in musica, nella quale intendono intervenire per interlocutori alcuni sacerdoti; e se bene la Santità Sua difficilmente si persuade che voi, quando seriamente riflettiate alle calamità universalis, ed anche particolari di cotesta città, non vi possiate indurre a permettere a sacerdoti e chierici, che compariscano ne' teatri, e rappresentanze, le quali appena si tollerano nelle persone laicali, essendo ciò vietato da sagri canoni, e dalle risoluzioni di questa sacra Congregazione, tuttavia ha stimato di stretta-

» mente ingiungere che prohibiate, in nome di Sua Beatitudine, sotto gravi, pene a sacerdoti e chierici di intervenire, come sopra, in alcuna sorta di commedie, o rappresentanze, benche sagre o spirituali. Non mancherete per tanto di obbedire al supremo comando di Nostro Signore etc., e Dio vi prosperi. Roma, 31 ottobre 1706. » (Apud Ferraris loc. cit. n. 19.)

« A frequentia ludi atearum et taxillorum (quorum nomine, juxta communem venit quicumque alius similis ludus e fortunæ potius eventu quam ab industria et arte pendens) neque hodie clerici excusari possunt, obtentu contrariæ consuetudinis quæ, tanquam corruptela jam reprobata fuit ab Innocentio III, in cap. 11, *Inter dilectos; De excessibus prælatorum*; potissimum cum hujusmodi prohibitio ab omnibus fere locorum ordinariis sub certis pœnis innovetur. Quamvis vero ab iisdem ordinariis transgressores puniri possint pro eorum arbitrio, ipsos tamen in iisdem pœnis infligendis monitos velle videtur Benedictus XIV ut abstineant ab excommunicatione latæ sententiæ, *De syn. diœc.* lib. X, cap. xi, n. 2... Non obstante hac moderatione, ab ordinariis servanda, eos monitos velum cum Thesauro, *De pœnis ecclesiast.* cap. iv, vº *Lusus*, et doctoribus cumulate ibidem citatis, clericos in sacris constitutos et beneficiatos peccare mortaliter aleis frequenter et ex consuetudine ludentes, ita si publice, sicuti et si notabilem pecuniæ quantitatem ludo exponant, potissimum ex fructibus beneficiorum. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 324.) »

ADNOTATIO XXXVIII.

Lib. III Decretalium. Tit. II, De cohabitatione clericorum et mulierum, § I, n. 10, pag. 397.

QUÆ FEMINÆ POSSINT HABITARE APUD SACERDOTES?

« Rigor decretalis *Inhibendum*, hoc titulo, statuentis inhibendam esse sacerdotibus, nedum cohabitationem cum fœminis de quibus suspicio esse potest, sed neque cum illis in quibus aut naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari, id est, matre, amita et sorore, aut cum extraneis, nulla suspicione notatis, ad moderationem antiquorum canonum revocatus est ab Innocentio III, cap. 9, *A nobis*, hoc titulo.

» Nec desunt qui contendant hac posteriori Innocentii decretali minime derogatum fuisse contrariis synodorum sanctionibus, et potissimum decretali *Inhibendum*, desumptæ e concilio Nannetensi, ea ducti ratione quod, cum hæc inserta sit compilationi Decretalium Gregorii IX, vim habet legis universalis. Verum placet hic referre sensum Benedicti XIV circa utriusque decretalis observantiam et conciliationem, prout aperuit, lib. XI, *De syn. diœc.* cap. ix, n. 7, ibi: « Hac ratiocinatione decepti aliquot episcopi se juri communi instituisse putarunt, cum clericis vetuere ne cum ulla prorsus

» fœmina, licet ætissimo sibi consanguinitatis nexu obstricta, cohabitarent. Verum aliter sensere peritissimi SS. Canonum interpretes, quibus compertum cum sit jurium contrarietatem esse evitandam, nec facile in eadem canonum collectione admittendam. Ita res visa est componenda. » Decretalis, inquit, Innocentii III regulam constituit universalem communiter observandam. » Decretum Nannetense ponit regulæ limitationem in specialibus quibusdam eventibus adhibendam. » Quamobrem licet in diœcesi contingat turpe incestus flagitium semel aut iterum ab uno aut altero clerico perpetrari, non idcirco fas erit episcopo a communi regula recedere, et non sine populi admiratione ac scandalo, quasi omnes haberentur ejusdem enormis criminis aut rei aut suspecti, statim edicere ne ullus in posterum clericorum cum nepte, amita, sorore, aut matre cohabitaret. Sed si quemquam reperiat dubiæ famæ, cujus cum consanguinea contubernium etiam apud probos et prudentes viros male oleat, ille, cui certe congruit regulæ limitatio, separationem injungat, ea tamen adhibita circumspectione et cautela, quam rerum circumstantiæ exposcunt, ne delictum quod latet patefiat... Nos parochis nostræ Bononiensis diœcesis convivere permisimus cum fœminis usque ad tertium consanguinitatis, et primum ac etiam interdum secundum affinitatis gradum, sibi conjunctis: cæterarum vero nomina ad nos deferri jussimus ut, earum conditione inspecta, deliberarem an sine ullius offensione possent parochorum ædes incolere. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 328.)

ADNOTATIO XXXIX.

Lib. III. Tit. II, § I, n. 22, pag. 399.

DE PURGATIONE CANONICA CLERICIS DE CONUCBINATU SUSPECTIS INDICENDA.

« In decretali *Tua nos*, hoc titulo, statuitur indicendam esse purgationem canonicam clericis de concubinato suspectis; verum hodie hæc purgatio apud omnia fere ecclesiastica tribunalia in desuetudinem abiit. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 334.) » Cf. Adnotationem X supra.

ADNOTATIO XL.

Lib. III. Tit. II, § II, n. 54, pag. 407.

DE SENSU DECRETORUM TRIDENTINORUM ADVERSUS CLERICOS CONCUBINARIOS.

« Ex decretis concilii Tridentini (sess. XXI, de *Reform.* cap. 6, et sess. XXV, de *Reform.*, cap. 14.), clare deducitur illius mentem esse non deveniri posse ad sententiam privationis beneficii, nisi certo constet de beneficiatorum incorrigibilitate, ad quam firmandam in non parochis directivam legem

citra quodcumque arbitrium episcopis observandam præscripsit; a qua, cum agatur de gravissima pœna, ne latum quidem angue tanquam ab essentiali judiciali forma recedere eis minime licet; ita ut beneficium privati, non servato ordine judiciario, qui hodie non est alius quam ab eodem Tridentino præscriptus, possint petere restitutionem tanquam spoliati, ut in terminis de privatione beneficii probat Fagnanus ad cap. 26, *Dilectus*, i. de *Rescriptis*, n. 20 et 21....

« Nota I. Per concubinarios eos intelligi qui concubinas aut fornicarias, ad instar uxorum, sive continuo sive vage secum retinent, etiam extra propriam domum; quidquid in contrarium senserit de concubinato vago Garcias, *De beneficiis*, part. II, cap. x, n. 186, asserens concubinarios vagos prædictis pœnis obnoxios non esse, ex declaratione S. Congregationis; quam tamen Amœnus, loc. cit. n. 35, existimat fabulosam, cum de ea non constet, nec ullibi reperitur, imo nec credere potest Sac. Congregationem ita declarasse contra apertam Tridentini mentem.

« Nota II. Non solum hos concubinarios prædictis pœnis obnoxios esse, sed etiam simplici incontinentia cum hujusmodi fœminis notatos, sine qualitate concubinati; Tridentinum enim utitur verbis disjunctivis « qui cum concubinis, aut aliis mulieribus de quibus haberi possit suspicio, ullam consuetudinem habere audeant.... »

« Nota III. Ad incurrendas prædictas pœnas non requiri notorietatem concubinati et incontinentiæ, cum absolute statuta sint contra clericos, similes fœminas retinentes, et de quacumque muliere crimine fornicationis suspectos. Requirit tamen præviam monitionem et quidem specialem, non generalem per edictum; et hæc debet esse trina, vel una pro tribus; non tamen trina ante inflictionem singularum pœnarum a Tridentino statutarum, ut contra dictum Garciam probat Amœnus loc. cit. « Etenim, ait, verum est quod ad hoc ut clericus concubinarius privetur suis beneficiis, debet ter personaliter moneri, non tamen necessarium est quod tali modo moneatur, si infligenda est minor pœna quam sit privatio beneficii: etenim Concilium aperte ait quod, si moniti primo non resipiscant, amittent tertiam partem fructuum; si post secundam monitionem adhuc perseverent, fructus ex integro amittant, et post tertiam priventur beneficiis. Somnium est quod singulæ monitiones debeant esse trinæ, quia hoc modo secunda monitio evaderet quarta, et tertia esset septima, quod est inauditum. »

« Nota IV. Pœnam privationis fructuum a Tridentino impositam, quamvis sit lata sententiæ, non obligare in foro conscientiæ ante declarationem, Thesaurus, *de Pœnis ecclesiast.* cap. vi. §. *Concubinatus*.

« Nota V. Onus admonitionis faciendæ episcopo, concubinatus reo, a concilio provinciali, juxta præscriptum Tridentini, et respective denuntiatio- nis

faciendæ Summo Pontifici in casu insordescentiæ in concubinato, cum hodie concilium provinciale vel raris admodum vel nunquam, justis de causis, non celebretur, crederem idem onus spectare ad metropolitanum. (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.* part. I, sect. 332.) »

ADNOTATIO XLI.

Lib. III. Tit. III. De clericis conjugatis, § I, n. 8, p. 409.

DE CLERICIS CONJUGATIS APUD GÆCOS.

Docet auctor noster clericis conjugatis apud Græcos id solum permissum esse scilicet uxore, quam virginem in ordinibus minoribus constituti duxerunt, postea in majoribus adhuc uti. Huc spectat constitutio Benedicti XIV, *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, in qua pœna infliguntur contra Græcos in sacris constitutos, mortua uxore, aliam post sacram ordinationem ducentes, vel, si antea uxorati non fuerint, uxorem ducere præsumentes.

ADNOTATIO XLII.

Lib. III. Tit. III, § I, n. 12, p. 410.

DE CLERICIS MINORISTIS MATRIMONIUM CONTRAHENTIBUS.

« Quamvis ex verbis cap. *Si cum clericorum*, hoc titulo, appareat pœnam esse ferendam sententiæ communis tamen canonistarum interpretatio est clericus minorista, per matrimonium contractum dummodo validum fuerit, ipso facto privatus sit beneficiis et ecclesiasticis pensionibus, teneaturque ea dimittere ante omnem declarationem, et fructus postea perceptos restituere; Thesaurus, *De pœn. eccl.* cap. iv, §. *Apostasia*, n. 5, quam privationem ipso facto incurrendam idem Thesaurus ex cap. 10, *Ut consultationi*, hoc eod. titulo, cum doctoribus ibi citatis, extendit etiam ad minoristam assu mentem statum incompatibilem cum clericatu, puta militarem.

« Ex constitutione Sixti V, *Cum sacrosanctum* 9 januarii 1589, minoristæ nedom matrimonium contrahentes, vel statum incompatibilem cum clericatu assumptos sed etiam habitum clericalem demtaxat demerentes incurreunt ipso facto pœnam privationis tam beneficiorum quam extinctionis pensionum, etiam eorum conscientiam animalverit liberos Thesaurus quod, juxta aliquos, non esse usque ad hunc rigorem usu receptam; juxta alios requirit monitionem et contumaciam; et verius putat requiri declaratoriam pro foro conscientiæ.

« Imo non desunt doctores asserentes privationem beneficii induci ipso jure per matrimonium nulliter contractum, quia ex intentione clericorum contrahentium matrimonium assumptus est status incompatibilis; adeoque, juris interpretatione, be-

neficio ipso facto renuntiatum intelligitur, arg. cap. *Nuper 4, De bigamis*, ubi propter affectum, seu intentionem cum opere subsecuto, quis inter bigamos reputatur. Hujus sententiæ sunt Abbas, Lessius, Garcias, qui ulterius testantur hanc esse communem: quam sequitur etiam Barbosa in hoc cap. et *Allegat.* LVII, n. 270, qui tamen recte limitat in casu quo matrimonium nullum esset ex defectu consensus, cum tunc non esset præsumptio tacite renuntiationis. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 336.)

ADNOTATIO XLIII.

Lib. III. Tit. III, § II, n. 29, pag. 413.

DE CLERICIS CONJUGATIS QUOAD CANONIS ET FORI PRIVILEGIUM.

Audiat ea de re Fagnanus in cap. *Joannes*, hoc titulo: « Nota clericum conjugatum non gaudere clericali privilegio, licet habitum et tonsuram deferat, ut hic est expressum, et notat Bernardus post casum, et Joan. Andr. n. 8. §. *Item quod conjugatus*. Sed cave ne decipiaris, quia per constitutionem Bonifacii VIII, in cap. unico, eod. tit. in 6. innovatam a Concilio Tridentino, cap. 6 in fine sess. XXIII, clerici non bigami gaudent duobus tantum privilegiis videlicet canonis, *Si quis suadente* 17, quæst. IV, et fori, ne scilicet pro commissis excessibus trahi possint criminaliter ac civiliter ad judicium sæculare; ad hoc tamen ex dicto cap. unico requiritur ut tonsuram et vestes deferant clericales, et ex dicto cap. 6 et quoad fori privilegium, præter habitum et tonsuram, requiritur etiam ut alicui ecclesiæ inservant. Dixi quoad fori privilegium, quia quoad privilegium canonis, decretum Concilii nihil novi statuit, ut alias fuit resolutum. Quare licet hodie non cogantur deferre tonsuram præcise, coguntur tamen causative, id est, si velint canonis et fori privilegio potiri, ut hic per Abb. n. 7, §. *Et conclude latius*; quia sine tonsura et habitu non retinent privilegium canonis, et sine tonsura, habitu et servitio non retinent privilegium fori. Dum ergo decretalis *Joannes* dicit clericum conjugatum, etiam tonsuratum, non gaudere clericali privilegio non intelligas tu de prædictis duobus privilegiis, sed de reliquis privilegiis ecclesiasticis, quæ clericus conjugatus perdidit ipso facto, ut in dicto cap. unico §. *In cæteris*, et ibi notat Glossa communiter approbata; neque ad hoc requiritur monitio, sed sufficit solus contractus matrimonii, nam ex contrario actu hæc privilegia amittuntur. Et ita limitant et intelligunt hunc textum Glossa, Abbas, Hostiensis et alii communiter. »

« Cum autem, inquit Giraldus, in dicta decretali *Joannes* addat Pontifex exceptionem, clericum videlicet conjugatum non esse cogendum ad delationem habitus et tonsuræ, dummodo nullum percipiat beneficium ecclesiasticum, videtur declarare

dari posse clerico conjugato beneficium in titulum contra dispositionem omnium supra allatarum decretalium. Verum hæc exceptio intelligenda est, si beneficium possideat ex dispensatione Papæ, ut Glossa hic et canonistæ communiter. (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 342.) »

ADNOTATIO XLIV.

Lib. III. Tit. IV. De clericis non residentibus in ecclesia vel præbenda, § IV, n. 110, pag. 441.

AN LICEAT CANONICIS CHORO TANTUM BEVERENTIALITER ADSISTERE, PRIVATIM HORAS CANONICAS RECITARE, ET MUSICIS VEL CAPELLANIS RELINQUERE CANTUM?

Respondendum negative adversus auctorem nostrum. Qui submissa et non alta voce simul cum aliis psallunt, non lucrantur distributiones; et non eis suffragatur quæcumque contraria consuetudo, ut sæpius declaravit Sacra Congregatio Concilii, 12 januar. 1619, lib. XII *Decret.* pag. 7) per hæc verba: « S. Congregatio sæpius respondit canonicos in choro teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » Et in causa Vicen. proposita die 7 junii 1626, lib. XV *Decretor.* pag. 565 a tergo, S. Congregatio respondit: « Canonicos in choro alta voce non psallentes distributiones quotidianas non lucrari, quavis consuetudine non obstante. »

Quibus declarationibus accessit etiam declaratio Benedicti XIV, constit. *Cum semper*, ad universos Italiæ ordinarios, 19 aug. 1744 directa, § 24 ibi: « Equidem scimus, in aliquibus metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, inter canonicos eam opinionem invaluisse ut se munus sum satis implere contendant, dum choro præsentibus assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus beneficiatis aut mansionariis incantant se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem adduci ab eisdem solent inveteratæ consuetudines, statuta peculiaria aut etiam prætensa Ecclesiarum suarum privilegia. At cum synodus Tridentina, sess. XXIV cap. 12, loquens de dignitatibus et canonicis qui choro interesse debent, unum ex eorum officis esse dicat « in choro ad psallendum instituto, hymnis » et canticis Dei nomen reverenter, distincte devote teque laudare, » cumque pauca omnino sint capitula in quibus eo modo a canonicis in choro assistitur, ideoque receptæ in universa Ecclesia disciplina paucos illos adversari dignoscatur; cum insuper opinio illa nunquam, in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præposita, examinata sit quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur, canonicis etiam Ecclesiarum patriarchalium hujus nostre Urbis super hoc instantibus; cum denique idem judicium prolatum reperiat a pluribus conciliis provincialibus, ab hac etiam apostolica Sede approbatis et confirmatis, nihil jam esse reliquam vi-